


# DEO OPTIMO MAXIMO
## UNI ET TRINO,
## VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono,

# QUÆSTIO MEDICA,
*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die vigeſimâ-primâ Januarii anni* M. DCC. XXXIV.

M. ANTONIO CASAMAJOR,
Librorum Medicinæ Regio Cenſore,
Doctore Medico, Præſide.

### *An* ΔΥΝΟΣ *Apoplexiæ Prodromus?*

I.



UNCTIONUM animalium domicilium Caput. Inſtrumentum quo perficiuntur Cerebrum; nervorum, motûs, ſenſûſque principium. Triplici componitur ſubſtantiâ, extimâ, mediâ, infimâ; idem eſt ac ſi diceres, corticali, calloſâ, ſtriatâ, quæ ſucci nervei, ſivè ſpirituum officina, & promptuarium. Quos patitur morbos Cerebrum, quo modo motus, ſenſuſque fiant, quo fato lædantur penſitare Medicorum eſt. Unaquæque Cerebri functio ſuis obnoxia morbis, ſingularum ut ſuæ ſunt actiones, ſic & vitia; læſâ unâ, alias ſubſiſtere illæſas nihil vetat. Unicuique etiam morbo propria natura eſt,

ſunt principia, incrementa, ſtatus, declinationes; at in morbi dignoſcendâ cauſâ judicium difficile, pro ſignorum, & ſymptomatum analogiâ, quæ incautos fallit, nimiùm credulis, parùm ſedulis, minus doctis illudit. Sua habet arcana mirabilis Cerebri compages; quod latebris recondit, difficile cognitu, & arduum. Comparanda ergo, comparet Medicus, cognoſcenda, cognoſcat, prævidenda, prævideat, ut quidquid ex mechanicâ cerebri ſubſtantiâ, ſtudio, & ſagacitate conquiſiverit, experimentis, & rationibus rimetur intimiùs; ſedulò ſcrutari amet morborum Capitis cauſas, ſigna, ſymptomata, metaſtaſes, naturæ conatus, remedia ſelectiora, ſpecifica; in morbis cujuſcumque ſpeciei, curandi hic ſcopus eſt.

## I I.

CAPUT, ſupremo Corporis loco poſitum, mille coaleſcit partibus quæ mutuam ſibi ferunt opem, illarum nulla deteri poteſt quin malè cohæreat quibus priùs annexa; mirabilis eſt Connexio vaſorum quæ in univerſum Corpus excurrunt; mirabilior cerebri conſenſus cum omnibus Corporis partibus, etiam remotiſſimis, per nervos, per arterias, per cæca & intima Corporis ſpiracula. His autem conſortio defraudatis earum tonus imminuitur, depravatur, tandemque aboletur, unde motûs læſio, ſenſûs depravatio, morborum fons, & origo; graviores habentur à parte affectâ, à causâ læſionis, à ſymptomatum magnitudine, quò perículoſiores eò ſtudioſiùs perpendendi, diligentiùs excutiendi; cauſa morbi, morbus, & ſymptoma tibi ſint veluti ariadnæ filum, ad quod actiones dirigas; ut in illo, aliàs inextricabili, medicinæ labyrintho, certum tutò poſſis attingere ſcopum. Morborum capitis cauſæ, præ cæteris, obſcuræ; has qui poteſt cognoſcere felix habetur. Feliciorem habeas qui valet dira quæ latent in cerebro extrudere mala, quæ intimis hærent penetralibus radicitùs evellere, quæ funeſti eventûs ſunt initia prævidere, funditùs evertere ea, quæ aſſiduo tramite, quaſi viam parant ad apoplexiam. Inter medicinæ principia hoc eſt præcipuum, quod irruentes morbi amoveantur, imminentes præcaveantur.

## I I I.

MORBORUM capitis numerum adauget vertigo; nihil eſt aliud quam affectus in quo motus, ſenſuſque depravantur; qui eo corripiuntur iis caput circumagi, Corporaque omnia moveri videntur, licet reverà quieſcant; album, rubrum apparet, & quod rubrum eſt flavum creditur. Sic oculis inducit vertigo ludibrium, ſic motus, ſenſuſque illudit; tria ſunt ex quibus variantur duæ vertiginis ſpecies. 1°. Ea quæ ſeſe oculis offerunt ita ut caput ægrotantis, totumque corpus circumvolvi videantur. Unde δῖνος, ſive vertigo ſimplex; 2°. ea quæ viſum ita inobſcurant, ut laborantes ſe tenebris obduci credant; unde σκοτόδινος, ſive tenebricoſa vertigo. 3°. Denique ea quæ in cauſa veniunt cur vertiginoſi repentè concidant, & prolabantur, niſi protinùs iis ſubveniatur, aut propinquis nitantur adminiculis. Sed undenam vertigo? ſunt ne obſcuri, aut dubii fontes ex quibus derivatur? Minime quidem. Circumſtant undique efficaces cauſæ, falsò creduntur inexplicabiles,

nobiſcum perpetuò deprælianrur ; errant graviſſimè qui de vertigine Philoſophantur , quique eam medium tenere volunt periculum inter & ſecuritatem ; peſſima ſunt in magnis dubia , ex quibus major naſcitur mali pernicies. Vertiginem ergo in dubiis periculoſiorem habeas. Cauſam deleri , mitigari ſymptomata anxius poſtulat æger , falſis deluſus graviora præſentit , metuenda ipſi ſurgunt undique pericula. Heu θυμὸς , triſtis futuri præſaga ! Horrenda canis , infeliceſque præſagis eventus.

## I V.

VERTIGINIS cauſa , vel hæret in cerebro morbumque per eſſentiam efficit ; vel aliundè tranſmiſſa morbum per conſenſum concitat. Caligines , & circumgyrationes , quæ eam concomitantur , certa ſunt , non dubia , imminentis apoplexiæ ſigna , eo graviora quo major eſt in cerebro ſpirituum perturbatio ; ex quibus inter ſe agitatis , & confuſis multa effinguntur obſcura , & erronea. Quemadmodum confusè , & obſcurè videntur ea quæ in aquâ agitatâ conſpiciuntur ; integrè verò & perſpicuè apparent ea quæ in aquâ Lympidâ , & immotâ repreſentantur. Ita enim loquitur Poeta. *Non ſum adeo informis , nuper me in littore vidi , cum placidum ventis ſtaret mare.* Sic mens in vertigine tenebricosâ falſas apprehendit imagines quia confusè , & tumultuosè ipſi objiciuntur rerum ſpecies. Erroris vitium quæris ? attende ad ea quæ neceſſario occurrere debent , ut mens ſincerè & integrè ſuum de objectis exerceat judicium. Hæc tria ſunt. *Organum exquiſitè temperatum , medium ritè diſpoſitum , legitimè diſtans objectum ;* quorum ſi unum deficiat , mens non poteſt æquus eſſe judex eorum quæ percipit. Rimare ergo triplicem cerebri ſubſtantiam , tot radiis , aut ſtriis variatam ; cæcos , & flexiles , intellige arteriarum hiatus ; obliquos & multiformes vide gyros , quibus tota ſinuatur cerebri ſubſtantia ; ſedulò ſcrutare æſtuantes in cerebri cellulis ſpiritus , qui ſinuoſam ipſius molem infarciunt , diſtendunt , qui Meningibus reſiſtentiam pariunt ab ipſarum elatere vix ſuperabilem ; ſtudioſiùs perpende quo modo tenera nervorum ſtamina plus æquò tenduntur ; quo tandem fato fibrarum cerebri tonus invertitur , depravatur ; unde motûs læſio , ſenſûs perturbatio , imminutio , proxima utriuſque ceſſatio.

## V.

AD diagnoſin & prognoſin Medicum decet actiones contemplari , veluti ad fontem ex quo boni , vel mali ominis ſigna fluunt , & indicia. Operoſa tamen Semeiologiæ cognitio , non minùs ex abſtruſiori Naturæ contemplatione , quam ex uberiori rerum diſcendarum copiâ. Qui de vertigine obſcura narrant argumenta inter ſe diſſentiunt ; eam periculo carere volunt non pauci ; funeſti eventûs præſagium eſſe contendunt multi. Nihil mirum ? motûs enim læſio ſenſûſque communis depravatio , magnus eſt affectus ; cujus cauſa eſſentialis , & proxima , tumultuoſa eſt in cerebro ſpirituum commotio ; ſymptomata ſunt , falſa circumgyrationis imago , ſubita visûs offuſcatio , repentinus ad terram Corporis lapſus. Ea omnia imminentis apoplexiæ dicimus prænuncia , quibus medico conſtat de agendis ut præcaveatur. At ſunt ne certa cauſarum apoplexiam quaſi parturientium indicia ? quàm peſſimè nobiſcum ageretur , ſi impen-

dentis apoplexiæ, nullum præcederet ſignum, nulla præmonitio! Ingruentem eam facilè proſpicies, ſi diligenter obſervaveris ea quæ vertiginem antecedunt, concomitantur, ſubſequuntur, nihilque tibi deerit ad conſequendam hujus prophylaxim, ſi, ſpirituum tumultuosè vagantium per cerebri ambages, cauſam tollas, impetum reprimas. Ferventes in cerebro ſpiritus, confusèque irradiantes alios ineunt curſus, alioſque recurſus, glanduloſos totius ſubſtantiæ replent acinos, cellulas inflant, diſtendunt; unde vaſorum ambientium compreſſio, meatuum obſtructio, coarctatio; non equidem omninò occluduntur anguſtiora cerebri vaſa, ideoque nondum adeſt motus, ſenſuſque abſoluta privatio, ſed tantum depravatio, imminutio, quæ proximam utriuſque ceſſationem præſagit. Motus enim, ſenſuſque pertubati depravantur, depravati imminuuntur, imminuti mox pereunt, tandemque ceſſant. Cavete ergo vertiginoſi. Repentino accedit gradu inſidioſus hoſtis, qui eo corripiunturveluti percuſſi, & fulmine tacti repentè corruunt, attoniti labuntur, & quaſi ſyderati evaneſcunt.

*Ergo* ΔΥΝΟΣ *Apoplexiæ Prodromus.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Petrus Maloet, Conſiliarius & Medicus Regis ordinarius, nec non Domûs Regiæ Invalidorum, Ducum & Militum, Academiæ Scientiarum Regiæ Socius.*

*M. Claudius de Lavigne de Frecheville, Medicus Regis & Domûs Reginæ ordinarius.*

*M. Henricus Beſnier.*

*M. Guillelmus de Magny.*

*M. Joannes-Damianus Chevalier.*

*M. Joannes Beſſe, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ à Conſiliis, & Medicus Primarius.*

*M. Gabriel-Antonius Jacques.*

*M. Claudius Brunet.*

*M. Antonius de Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Pruſſiæ Socius, Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor ac Demonſtrator.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS-FRANC. VANDERMONDE, Landracenus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1734, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.